

EXpeditis Triangulis Rectilineis Rectangulis, re-
stant Obliquangula.

De ijs sunt sequentes tres Propositiones:

PROPOSITIO I. Obliquangulor.

In omni Triangulo (tam Rectangulo quam Obliquangulo) aggregatum ex Logarithmis ANGULI cujusvis, & LATERIS ei ADJACENTIS, equatur aggregato ex Logarithmis LATERIS & ANGULI prioribus OPPOSITORUM.

RATIO. Quia nimirum omnium Laterum ad oppositorum Angulorum Sinus eadem est ratio: adeoq; Factum ex Anguli cujusvis Sinu Recto, & latere quovis ei adjacente, æquatur Facto ex latere subtendente priorem Angulum, & Sinu Anguli subtensi à priore latere.

Quare iterum ex duobus Angulis quibuscung, datæ speciei, & suis oppositis Lateribus, si tria dantur, quartum quodcung, atq; inde ceteræ omnes Trianguli partes innotescunt per unicam Additionem & Subtractionem juxta casus duos sequentes.

Datam autem speciem Anguli alicujus vocamus cum indicatur, sitne is Acutus vel Obtusus.

CASUS I.

Datis DUOBUS LATERIBUS & ANGULO
UNI eorum OPPOSITO,
datur Logarithmus

ANGULI reliquo lateri OPPOSITI:

ADDENDO Logarithmos Lateris & Anguli contiguorum, & ab aggregato SUBTRAHENDO Logarithmum Lateris reliqui.

EXEMPLUM.

Datur